EPISTOLA
LADISLAI SIMMOSCHORVINI,
TUSCI-ROMÆ,

ET A

SORBONA LUTETIÆ PARISIORUM
PROBATA:

NUNC PRIMUM

PAUCIS, INTUITU CIRCUMSTANTIARUM MUTATIS,

IN LUCEM ATQUE AD

Cl. V. JUSTINUM FEBRONIUM JCTUM
EMANATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

SIENÆ.

ANNO MDCCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Clariſſime Febroni!

§. I.

Nunquam non in pretio eſt & in laude animorum moderatio, ſed nunquam in majore, quam, cum eſt nova Eccleſiæ diſciplina cum vetere conferenda. Agni ſponſa Ecclesia, Eccleſiæ Fides omnibus ſæculis, omnibus temporibus *eadem ipſa* eſt, *eadem* ſemper manet. At ejus diſciplina non ita: mutatur enim & labentibus annis ſeneſcit, ac priſtinæ ſeſe reſtituit Juventuti; alia & alia ſubinde & augmenta experitur & decrementa. Suus erat Juventæ vigor eximius, ſed obrepebant & vitia. Vitia illa ſuſtulit ætas poſterior; verum, dum bona accedunt nova, veterum alicubi ſplendor evaneſcit. Interim, ſi ad trutinam expendas omnia, ut Juventuti, ita & ſenectuti experieris ſua ineſſe vitia, ſuas virtutes. Quod priori diſciplinæ deerat, adiecerunt Pontifices, Concilia, Patres, quid dicam ultimi Concilii Oecumenici Leges, quid egregia illa ſtatuta Complurium noſtris temporibus Epiſcoporum, qui excellenti & prudentia & pietate veluti quædam Eccleſiæ ſidera ſplendent; nonne quidquid vitii & labis in ætatis hujus inoleverat diſciplina vel abſterſere jam, vel abſtergere ſedulo, quos Spiritus S. poſuit *regere*, pergunt?

Digitized by Google

§. II.

Quæ, cum ita ſint, quis tuum ferat Clar. Febroni auſum, dum Diſciplinæ intuitu in Libro illo ſingulari *de Poteſtate Pontificis* Poteſtatem ipſam inſectari haud erubueris? an te Clariſſime latere potuit *Clarus* adeo S. Scripturæ ſenſus, & in hoc loco omni retro ætate vulgatiſſimus? „ Nonne Petro locutus eſt Dominus: TIBI „ *dabo claves?* Cum enim immediate antea locutus fuiſſet de Ec„ cleſia, dum dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus* EAM, „ quidnam obſtat, quo minus adjunxiſſet, & dabo ILLI claves „ Regni, ſi illas IMMEDIATE dare voluiſſet *Eccleſiæ?* non dixit „ ILLI, ſed DABO TIBI. Quodſi liceat *clara loca* explicare, nihil „ omnino in ſcriptura reperietur, quod in omnem ſenſum detor„ queri non poſſet. „ Quid igitur mirum, quod SS. Patres quoque in *perverſo ſenſu* adduxeris, &, quando ſuperos in ſyſtema tuum flectere haud potuiſſes, ſtatueris acheronta movere, citatis pro hodierna vel potius contra *hodiernam* diſciplinam Autoribus jam *ante centum*, ante *ducentos annos* e medio ſublatis & ab Eccleſia Catholica proſcriptis?

§. III.

Sed hem! quantum a ſcopo aberraveris tuo, dum ita diſſeris: „ Ad formandum *de genuina Pontificis Poteſtate* rectum & Canoni„ bus conforme judicium, multum refert noſſe, *qualis fuerit Ec„ cleſiæ diſciplina* in quibusdam negotiis gravioris momenti, quæ „ ſequius ævum S. Pontifici reſervavit. In Jure Canonico aliæ „ Cauſæ majores non exprimuntur, niſi ſequentes. 1. Difficilio„ res fidei quæſtiones. 2. Ineligibilium Perſonarum ad Præ„ laturas Poſtulationes. 3. Confirmationes legitimarum Electio„ num ad easdem Prælaturas factarum. 4. Epiſcoporum Ceſſio„ nes, ſive Reſignationes. 5. Translationes eorundem Epiſcopo„ rum. 6. Sedium Epiſcopalium Erectiones, translationes, unio„ nes. 7. Inſtitutio novarum Metropolium & Sedium Patriarcha„ lium. 8. Epiſcopalium Coadjutorum datio. Denique 9. Epi„ ſcoporum depoſitio. „ Jam vero, quia exiſtimas, cauſas iſtas primis IV. ſæculis SS. Pontificibus non fuiſſe reſervatas, per totum

tum

Digitized by Google

tum librum tuum SS. Pontifices veluti *indebitæ Poteſtatis* uſurpatores proclamas. Verum patere, ut tuum tibi per integrum librum, ſingulaque capita graſſantem errorem eximam, & in quem ſcopulum impegeris incautus luculenter oſtendam.

§. IV.

Notum eſt, quod Eccleſia Chriſti ſexcentis in rebus mores, leges, uſusque priſtinos novis mutaverit, novos revocatis priſtinis obduxerit, in ipſorum etiam *uſu* Sacramentorum, quorum Sacroſancta vel maxime Majeſtas eſt; quin ergo in ſacræ S. Pontificis poteſtatis *uſu* atque exercitio variatum ſit in tanto ſæculorum lapſu, in tot rerum, locorum, temporumque diverſiſſimis commiſſuris? Conſulto diximus *non in poteſtate*, ſed in *Poteſtatis uſu* & *exercitio* variatum fuiſſe ſive in confirmationibus, ſive in Ceſſionibus, ſive translationibus Epiſcoporum &c. Prior enim uſus obtinuit, ut hæc partim per Romanos Pontifices, partim per Concilia Provincialia expedirentur. Poſterior uſus hæc omnia ad ſolos Romanos revocavit Pontifices. Notes Juſtine! in *uſu* & exercitio variatum eſt, non in *poteſtate*, quæ in Conciliis Provincialibus ſuo modo, in Romanis Pontificibus vero pro eorum *ſummo Principatu* (ut S. AUGUSTINUS loquitur) eadem ſemper atque illibata viget: *erumpit* autem, & exercetur non ſemper eodem modo, ſed pro locorum, temporumque & rerum opportunitate, pro Eccleſiæ utilitate, ſive neceſſitate. Non igitur, quando de POTESTATE genuina Pontificis ſermonem feciſti, ad diſciplinam, quæ variabilis eſt, debuiſſes confugere.

§. V.

Quanto ſatius ergo & ſectariis lucrifaciendis ac recolligendis conducibilius feciſſes, ſi docuiſſes rei veritatem, nimirum: Salvo fidei ſemper unius & irreformabilis vinculo, diſciplinam, mores, uſusque neceſſitati temporum accommodari, nihil autem unquam novatum fuiſſe ex Eccleſiæ utilitate, niſi ex charitatis lege, niſi cum ſumma Epiſcopalis Collegii conſenſione. Nihil *novæ poteſtatis*

 S. Pon-

Digitized by Google

S. Pontifici acceſſiſſe, ſed, ſi non nulla, quæ per Metropolitanos & Concilia particularia prius exercebantur, cæpit ipſe unus ubique exercere: id totum perfectum eſſe non alienam *uſurpando* poteſtatem, ſed ſuam *explicando*, non principandi latius libidine, ſed conſulendi charitate, non inferiorum munia invadendo, ſed eorum ceſſationem aut defectum ſupplendo, Epiſcopis nequaquam renitentibus, ſed ultro concedentibus, nec tam ſolicitis a quo, quam quomodo, qua ſapientia, qua charitate, qua ſanctitate poteſtas omnis Eccleſiaſtica exerceatur. Si ſic ſcripſiſſes Febroni, ſcripſiſſes ſobrie, pie & juſte.

§. VI.

Certum eſt, quod a Chriſto manaverit in Petrum & Apoſtolos Principalis Autoritas, ab Apoſtolis in Epiſcopos, ab Epiſcopis ad Concilia, a Conciliis rurſum ad Epiſcopos, ab his permagna ex parte ad Apoſtolicæ Sedis Pontifices. At hoc poſtremum de exercitio Juriſdictionis ac Poteſtatis intelligas, non de ipſa Poteſtate ac Juriſdictione, quæ in omnibus his pro cujusque gradu eſt cumulatiſſima; ſed exercetur nunc a ſolis Apoſtolis, dum nulli adhuc ſunt Epiſcopi, poſt a Romanis Pontificibus & Epiſcopis, cum nulli ſuperſunt Apoſtoli, nunc ab Epiſcopis non ſingularibus, ſed in Concilia coadunatis; poſtea, ubi Concilia colligi fere deſierunt, tum ob ſumptus nimios, tum, quia Epiſcopi nec voluerunt, nec potuerunt ſuis tamdiu abeſſe Eccleſiis &c. maxima ex parte exercetur a SS. Pontificibus ſecundum ætatis conſuetudines & ſacratiſſimas leges, quæ non poteſtatem (utpote a Deo conceſſam) ſed pro varietate locorum & temporum juxta utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ determinant uſum & exercitium. Proin, quando ipſus fateris Juſtine: *quod occaſione introducendæ majoris Reverentiæ erga Apoſtolicam Sedem* a Papa Epiſcopi nunc omnes confirmentur Epiſcopi &c: ſi ſenſa ponderare voluiſſes, intellexiſſes haud dubie, *occaſione* non dari poteſtatem, quæ abeſſet, ſed prodi promique, quæ ineſſet, nec erumperet.

Itaque hæc erga S. Pontificem reverentia *occaſio* exſtitit, qua proderet ſeſe Poteſtas Pontificis, ut ſolus confirmaret &c. Electio-

Digitized by Google

ſtiones Epiſcoporum, cum easdem Concilia Provincialia quoque confirmaſſent. Non igitur eam poteſtatem a Conciliis Provincialibus accepit Papa, multo minus extorſit, ſed, quam *ſemper* habuerat, *ſemper alicubi* exercuerat, eam ſuperſedentibus Conciliis cæpit ubique terrarum ſolus exercere.

Quo loco ponderare oportet, quod, ſi quæ poteſtas dicatur deveniſſe, aut *devolutam* fuiſſe a Conciliis ad Pontificem, non eo ſignificetur ab iis ei fuiſſe *collatam*, multa enim devolvuntur ab Epiſcopis ad Metropolitanos, ab his & a Provincialibus Synodis ad Romanum Pontificem, nec tamen *conferri* dicuntur, aut vere dici poſſunt. Pauciſſima devolvuntur a Superioribus ad Inferiores, pauca ad æquales, longe plurima ab Inferioribus ad Superiores ſecundum tritiſſimas receptiſſimasque Juris Regulas.

§. VII.

Ratio porro iſta potiundæ poteſtatis alicujus jure devolutionis ſignanter per Concordata firmatæ magnificentiſſima eſt, ſolemne eſt enim jura omnia ad Superiores ab Inferioribus devolvi, & omnium prorſus ſpiritualium poteſtatum jura ad S. Pontificem devolvi poſſe, quia ſummus omnium vertex eſt, quia Caput Eccleſiæ eſt & Vicarius Jesu Chriſti, a quo claves immediate accepit in ovibus ſine exceptione commendatis.

„ Sunt quidem & alii (inquit S. Bernardus te teſte *vox* „ *ſui ævi Eccleſiæ Catholicæ L.* 2. *de Conſid. cap.* 8.) cæli janito„ res, gregumque Paſtores, ſed S. Pontifex tanto glorioſius, quan„ to differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditat. Ha„ bent illi ſibi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, ei vero univerſi „ ſunt traditi *uni unus* omnium Paſtor. „ Sin autem hæc jura a Conciliis Provincialibus ad Romanum devolvuntur Pontificem, quia unus omnium eſt Paſtor, quia caput Eccleſiæ eſt ac ſummus omnium vertex, perperam infers Febroni! *non proſunt hac in parte Romanis præſcriptio, ceſſio, poſſeſſio, conſuetudo* &c. Quin potius ex adverſo ita argumentare. Ceſſantibus toto orbe terrarum Conciliis Provincialibus in transferendis Epiſcopis, confirmandis &c. ad Pontificem devoluta eſt autoritas tanquam ad Caput Eccleſiæ

Eccleſiæ & ſummum Epiſcopalis Collegii verticem; ergo hujusmodi inſtruxit Eccleſiæ ſuæ caput, hujusmodi ſibi Vicarium ſuffecit CHRISTUS, in quo *tota ſemper plenitudo poteſtatis* reſideat, etſi non totam ſemper exerceat, niſi ubi ceſſantibus adminiſtris immediatis vel Metropolitanis vel Synodis eam ex recepto uſu & vigore diſciplinæ exercere cogit primæ Sedis dignitas, Chriſti charitas, Eccleſiæ utilitas neceſſitasque, premit nimirum ſe non nunquam ſpiritualis poteſtas quantacunque latere amat, nec erumpit, niſi obſtetricante charitate, vel neceſſitate, vel conſuetudine & obſervantia. Rurſum, ubi conſuetudini ſuccedit deſuetudo, non exoleſcit tamen *poteſtas*, ſed ſemetipſam denuo premit, cum ex re erit rurſus eruptura.

Iſtiusmodi autem exercitium poteſtatis, ubi præſcriptum eſt, niſi contraria præſcriptione non tollitur. Si negligerent enim Pontifices, ſinerentque eam transferendi, confirmandi &c. poteſtatem rurſus exerceri a Conciliis Provincialibus, & hunc uſum præſcribi; aſſentirentur utique ipſi huic mutationi diſciplinæ, quæ ejusmodi non poteſtatem in ſua radice, ſed poteſtatis exercitium ad Concilia Provincialia denuo transferret. Sed apage has in futurum otioſas conjecturas, præſenti rerum ſtatui aquieſcas mi bone, nec poſthumis æternisque minorem conſiliis animum fatigare delectet.

§. VIII.

Hæc quidem eſt vox tua „ Conſidero Papam ut Caput Ec-
„ cleſiæ; non ut Monarcham penes quem jus & auctoritas per
„ ſe univerſam Eccleſiam & ſingula ejus membra regendi, &
„ pro exercitio ſacri hujus Imperii Epiſcopis partem ſuæ pote-
„ ſtatis *pro arbitrio* communicandi, tollendique reſideat. Si in
„ hoc erro, *fateor, me ſcripſiſſe totam errorum congeriem &c.* „
Utique! utique errafii Frater, nam & hic tibi deeſt genuinus Majeſtatis Pontificiæ conceptus. Licet enim Papa plenitudinem poteſtatis ex VERBO DOMINI (uti S. BERNARDUS *loco cit.* ait) rite obtineat „ cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apo-
„ ſtolo-

„ ſtolorum ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? „ *ſi me Petre amas, paſce oves meas.* Quas? illius vel iſtius populos civitatis, Regionis aut Regni? *oves meas*, inquit (Chriſtus „ Deus noſter) cui non planum: non deſignaſſe aliquos, ſed „ aſſignaſſe omnes? nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Stat „ igitur S. Pontifici *inconcuſſum privilegium* tam in datis clavibus, „ quam ovibus commendatis. „ Ita ſui temporis vox totius Eccleſiæ. Licet igitur (repeto) Papa plenitudinem Poteſtatis obtineat, & quamvis *eſſentialis* conceptus Regiminis Monarchici ſit, ut *Vice* Chriſti *unus ſit omnium Paſtor*, nihilominus plenitudo hæc *Poteſtatis* in omnes comitem habeat neceſſe eſt plenitudinem *charitatis*, *Juſtitiæ* & *pacis*. Adeoque non cohæret: in S. Pontifice reſidet plenitudo *Poteſtatis*: ergo Epiſcopis *pro arbitrio* (ut tu Febroni ſomnias) communicare poteſtatem valet & tollere. Nam *Reges gentium dominantur*, & munia diſpenſant *pro ſuo arbitrio*: Papa autem non ſic.

§. IX.

Deinde, quod errores ſine fine congeſſeris, inde perſpicuum eſt, dum dimiſſis cauſis majoribus Reſervationes quoque caſuum, Diſpenſationes, Abſolutiones &c. quas Roma elargitur, ſequentibus impetis „ Reſervationes caſuum (ais) diſpenſationes & abſo„ lutiones Papales inde originem trahere, quod *Epiſcopi ipſi* non „ nullos gravium criminum reos ad Sedem Apoſtolicam miſerint, „ idque, ut vel a Pontifice abſolverentur, vel, ut a Pontifice pœ„ nitentia imponeretur. „ Si enim Reſervationes caſuum, ſi diſpenſationes, ſi abſolutiones Papales inde originaliter promanarunt, quia *Epiſcopi ipſi* homines graviorum delictorum reos Romam ablegaverunt, ergo erraſti vir clariſſime ad nauſeam repetens: *Epiſcopos in vim falſarum Decretalium juribus ſuis ſpoliatos fuiſſe a SS. Pontificibus.* Non ratio, non autoritas, non probatio ulla ſuffragatur, quod SS. Pontificum vel unicus juribus ſuis Epiſcopos ſpoliaverit, bene vero, quod Epiſcopi ipſi tam in quam extra Concilia per omnia retro ſæcula conclamarint: *Petri Perſonam* in Romano *honoremus* Pontifice. *Si placet: S. Petri Apoſtoli memoriam ho-*

Digitized by Google

noremus. Petrus per os ſummi Pontificis locutus eſt. &c. in ſuis SUCCESSORIBUS VIVIT. &c. &c.

Et quid, an non te oportuiſſet eſſe memorem axiomatis tui: *Epiſcopos ſpoliatos fuiſſe in vim falſarum Decretalium,* quando Epiſcopali Collegio injurioſus ſcripſeras: „ Epiſcopos juribus ſuis ex„ cidiſſe *culpa ſua*, utpote Provincialium Synodorum ſeveritatem „ abhorrentes, fugienteſque. „ Quacunque de cauſa Epiſcopi Jura ſua dimiſerint, nihil aliud ſequitur, niſi, quod volentibus Epiſcopis & ultro ob Principis Apoſtolorum memoriam Apoſtolicæ Sedi aſſurgentibus diſciplina mutata fuerit, ac POTESTAS S. Pontifici in S. Petro collata conſenſu totius Epiſcopalis ſacratiſſimi Collegii eruperit in plenum exercitium, januaque aperta fuerit devolutioni Canonicæ.

Devolutionis jus *Canonibus & Juri in Eccleſia Catholica recepto* conſentaneum eſt, *ſpoliatio* vi falſarum Decretalium & privatio a te jactata nuſpiam *in Eccleſiaſticis monumentis* exiſtit. Magnificum ſcilicet videtur tibi Epiſcopis, ſi eos ſpoliatos dicas juribus ſuis a ſumma Sede. At nobis longe magnificentius & ad Eccleſiæ Catholicæ gloriam luculentius, ſi Pontifex Eccleſiæ CAPUT, Centrum unionis Catholicæ & Epiſcopalis Collegii vertex ſua largiri, quam aliorum occupare Jura amet; ſi augere & honorare Epiſcopos in animo habeat, quam eos imminuere & obterere.

§. X.

Allatrant nuperi ſectarii Apoſtolicam Sedem, atque illam Epiſcoporum ſpoliis & ruina auctam, ditatamque falſiſſimo calumniantur. Vide, ne inopinus tam iniquis præpoſteriſque calumniis vim adjicias, aut latus nudes. Nos cum Eccleſia Catholica ex adverſo ſtamus & prolatis documentis oſtendimus, ac pluribus ſumus oſtendere parati: Pontificiam poteſtatem juris divini eſſe, & ſupremam in Eccleſia Catholica, *unam ſemper, eandemque;* ſin vero de novo poteſtatem exercere cæperunt Romani Pontifices, quam prius vel Epiſcopi, vel Metropolitani, vel Provincialia Concilia exercuerunt: veriſſimam hujus diſciplinæ mutationem refundendam

Digitized by Google